

Epistola Caroli Molinaei de fatis suis

Autor(en): **Molinaeus, Carolus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1748)**

Heft 11

PDF erstellt am: **15.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394631>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

* EPISTOLA
CAROLI MOLINAEI
de Fatis suis.

Clarissimo & eruditissimo Doctōri,
D. HENRICO BULLINGERO,
Ecclesiae Tigurinae Pastori fidelissimo,
CAROLUS MOLINAEUS S. D. P.

DUm apud D. *Maurum Muscaum*, Gallorum Regis apud Helvetios legatum, Basileae agerem, is circa initum Augusti tuas ad se literas mihi ostendit, quibus librum meum *contra abusum Curiae Romanae & Paparum* summa cum voluptate legisse significabas, mihi etiam salute adscripta. Multum certe laetatus sum, quippe qui & sanctis libris tuis, tum *de Origine Erroris*, tum in *Acta Apostolorum & Epistolas Pauli*, Parisiis profecero. Sed in tuorum albo nominatim venisse magno & honori & gaudio mihi fuit. Ex tunc ad te desiderabam scribere; sed partim deerat, qui literas deferret, partim festinabam librum eundem recognoscere, & cum non parvo & acri auctario, *Michaeli Isingrinio* (quem ut audivi absolvisse, ad eum scripsi ut unum nomine meo tibi daret aut mitteret, quem εἰς μνημόσυνον suscipias te rogo)

Tom. III.

E e

excu.

* Ineditam hanc Epistolam ex *αὐτογράφων* excerptam debes B. L. liberali in promovendas litteras atque Historiam litterariam studio Viri Clarissimi J. JACOBI SIMLERI, Collegii Alumn. Ephori dignissimi.

excudendum dare, Gallicis, defunctorie quidem, sed significanter, in gratiam Germanorum, Latinis factis: Quo ante finem Augusti absoluto & typographo in præsentia clarissimi & eruditissimi Jureconfulti D. *Bonifacii Amerbachii* (qui officiosissime & amicissime mihi sæpe adfuit) tradito, discessi. Humanissime quidem & honorificentissime initio Julii exceperunt me D. Præfecti, Consules, Rector & Professores Basilienses, (quod tantum beneficium mihi nunquam memoria excidet) mihi-que, ne diutius in hospitio starem, locum apud *Grynæum* delegerunt, quo ingressurus eram, nisi D. *Maurus* Legatus me domi suæ excepisset. Ubi veteris amicitiae & officiorum memor (siquidem ante viginti annos Juris praxisque pleraque documenta audierat) ut fratrem liberalissime nimisque splendide tractavit. Sed eo animo sum, ut malim deterius habere, quam amicorum beneficentia abuti. Consideravi enim notum esse in aula & in Gallia, me jam sesquimenssem apud Legatum agere, & id quidem eatenus sine offensione: sed deinceps forsan fore invidiam aliquam apud Regem Gallum, Cardinales & Papisticos suos præfato Legato inuri, si diutius apud eum manerem. Non tam propter Legatum novum Papisticum, urgentem cum Sorbonicis erga Regem reversum contra me decerni, & lege agi, quam propter librum recognitum & acrius auctum: Ne videlicet calumniarentur D. Legatum me in his fovere, domique suæ deteriora a me facta & edita esse. Hanc tamen causam non dixi D. *Mauro*, sed aliam, quæ etiam vera erat, nempe operæ pretium esse, ut occulte Parisios peterem, familiaræ rebusque domesticis consulturus. Tam repente inde (de con-
jura

juratione Cardinalium certior factus) me proripueram, ut paratum cum amicis prandium omittere necesse fuerit. Itaque ad finem Augusti (priore, quo veneram itinere, jam parum tuto) per Helvetiam, Lausannam, Genevam celeri itinere Parisios transvectus, noctu domum solus (equis hospitio relictis, quo me subtrahere liceret, si fors domus occupata esset) improvisus ingressus, omnia perturbata & periculis gliscentia inveni. Uxor rumusculis clam variis locis depositis apparitores irrupturos expectabat. Audierat enim, Regem Legato Papistico, Sorbonicis, & Cardinale Lotharingo mihi nunc infestissimo, Bruslaro quoque cum advocatis suis auditis, negotium ad se mense Majo evocatum, ad Senatum Parisiensem remisisse, & jussisse contra me, extra ordinem, reorum more procedi. Erat autem in animo, bonorum saltem quadrante divendito, uxorem & tres liberos cum parte librorum evehere: sed prorsus ἀδύνατον fuit. Nec enim palmum unum terræ vendere licuisset, & multo minus de aliis redditibus. De mobilibus autem (ut reserat) mille libras elicere non potuisset. Filia unica febre laborans evehi non poterat, etiamsi licuisset. Nec celari in ea peristasi familiæ exitus potuisset, & omnia prædæ magis patuissent. Tertiam tantum librorum partem seposui, ut ad me ocysissime mitterentur, una cum lucubrationibus meis *εις ἐπανόρθωσις τῆ νομίμου* & *in consuetudines*, quæ jam in aliam domum, ut tutius essent, translatae erant. Nuntiabant amici adventum meum in urbem innotuisse adversariis, & sub lucem & noctem exploratores circuire vicinos domui vicinos. Mutatis vestibus in ipso meridie domum solus egressus extra portam equis con-

scensis redii , biduo quidem festinans , sed die ter-
tio febris , qua Parisiis correptus fueram , equi-
tantem adeo afflixit , ut in quodam Castro seor-
sim ab itinere quatuor dies decumbere coactus fue-
rim : Et deinceps unum vel alterum diem equi-
tans , duobus aut tribus quiescendum erat , seor-
sum tamen ab hospitiis domibus amicorum exce-
ptus , etiam quos nunquam antehac noveram ,
qui me favore Evangelii officiosissime tractaverunt.
Multos undique in Gallia noveram Verbo Dei fa-
ventes , sed adhuc ultimo hoc reditu plures alios
agnovi , usque adeo Gallia Dei beneficio undique
fere Christianis aspersa est , tam ex nobilibus per
agros , quam ex Præfectis Juri dicundo & honora-
tioribus civibus per oppida. Plures mihi castra
locaque semota & tuta obtulerunt , ut ob adver-
sam valetudinem hyemem libris eo eVectis transi-
gerem. Sed nolui. Non metu hostium , sed ut
cum amicis jam Parisiis decretum exequerer , vi-
delicet ut ad te tuosque , doctissimos & humanis-
simos viros , Tigurum contenderem. Inveni
Lugduni (in medio inimicorum , videlicet Cardi-
nalis *Turnonii* , *Matthæi Orys* inquisitoris , a quo ,
vel ejus vices gerente , tanquam ab abusu , ap-
pellaveram , quia a Papa suoque Consistorio jus-
sus est in me scribere , nec non Cleri) qui mox
hospitio abreptum in aliam domum transtulerunt :
Et die tertia , interim enim Medicis utendum erat ,
ante lucem ad ripas una , nunc altera cimba trans
leucam ab urbe emiserunt , ubi inventis equis die
tertia huc veni. Scripserunt etiam amici e Lug-
duno literas ad te & alios præcellentes Viros Tigu-
ri , quas dederunt cuidam Germano Scaphulæ
civi , qui mox me secutus Tigurum deducturus

erat

erat. Ego vero hic illectus ab amicis, & deter-
 ritus ob instantiam itineris & aëris timui istuc ire,
 non solum propter recentem valetudinem (a qua
 tamen etiam in ipso itinere Dominus me liberavit,)
 sed magis propter triplicem hyemem, videlicet
 ætatis, (quippe qui jam unum & quinquagesi-
 mum annum excessi,) loci & temporis. Si ad-
 huc in Augusto vel medio Septembri fuisset,
 omnino Tigurum adivissem, tuique videndi & sa-
 lutandi desiderium mihi satis urgens & iusta causa
 fuisset. Sed qua die hinc digrediebatur Germanus
 ille, irruentem videns imbrem hyemalem, timui
 ne rursus ob longum iter in valetudinem inciderem,
 dispendio temporis, mihi semper, sed nunc ma-
 xime, carissimi: Tantum enim mihi supersunt
 aliquot anni vigentis ætatis & sensuum, sed fu-
 gientes, ut *Flaccus* ille ait: Quos proinde parci-
 us curare oportet, eoque magis, quod Ecclesiæ
 juvandæ, & inimicis, si opus sit, confutandis,
 librisque edendis impendere statui. Triginta totos
 annos officium advocationis Parisiis exercueram,
 quando ibi bellum papisticum contra me exarsit.
 Multos libros tam in *Consuetudines*, & *stylum fo-
 rensem*, quam in *Jure* edidi. Ad hæc non solum
 externæ, sed multo magis Christianæ Reipublicæ
 inservire tandem cupiebam. Itaque arrepta occa-
 sione *de bello Henrici II. contra Julium III. suscepto*
 scripsi, & per totam Galliam evulgavi: *Contra*
abusus Curia Romanæ & Paparum multo efficacius
 certo quam putaram: Domino incrementum dan-
 te, & laboribus meis in afflictionibus benedicen-
 te: Nunquam enim fuit in Gallia liber acceptior,
 nec cupidius emtus aut lectus, etiam ab his, qui
 Papisticis erroribus detinebantur, exceptis Papæ

conjuratis duntaxat. Prima aggressio fuit ad finem Martii ; Vocatus , coram Regis advocatis extimulatis a Sorbona , quæ eis librum cum atrocibus querelis dederat , illico comparui , agnovi. Rogatus (agnoscebant enim sese meos fuisse discipulos , & quantum poterant , mihi deferebant) Epistolam Gallicam detrahere , ut sedaretur *Lysetus* , qui clamabat , adversus librum suum factam ; Recusavi , dicens omnino velle me a Rege eam legi. Sed jam Rex in castris eam audierat , opera & sollicitudine Legati illius a Latere , qui , Romam repetens per Lugdunum , excitus ab infesto & adversario mihi Clero (pro pauperibus enim & Ptochotrophio Lugdunensi contra ditem clerum illum Advocatus fueram , quæ causa ut eos avarissimos multum urebat , ita mihi insensissimos reddidit , & comminati sunt , se meis libris insidiaturos , quod gnaviter fecerunt , alioqui ter aut quater liber excusus aut divenditus fuisset , priusquam inimici experti fuissent) comparatum librum unum cum atrocibus querelis ad Regem miserat , qui initio irritatus , audita epistola Gallica , pacatus fuit , ut unus , qui in eo consilio Regis aderat , mihi significavit. Redeundo ad Regios advocatos addidi me non vidisse librum *Lyseti* , quod si male scripserit , sibi ipsi exedundum esse. Rursus monuerunt Sorbonam valde irritatam , proinde opus esse , ut illos adirem , & quosdam articulos , quos notarant , de libro demerem , vel alias cum eis concordarem , ut placarentur , alioqui pertinacissime aggressuros , meque ad minimum in sinistram opinionem erga Regem timidum & superstitiosum (sic enim alter eorum loquebatur) adducturos , meque consequenter amissurum gratiam ,
quam

quam erga Regem & Proceres acquisiveram, spemque futurorum honorum & dignitatum. Negavi me Sorbonicos aditurum, nec in gratiam aut infestationem eorum quicquam detracturum; sed si quas haberent rationes, darent, ut si validæ essent, sumtibus propriis me corrigerem, & libenter ab iis didicisse profiterer. Alioqui me disputationi publicæ offerebam. Ceterum veritatem omnium gratiæ, & odio, etiam Regio, prælatum, manifestumque esse, adversarios ipsos seditiosos esse & Regis inimicos, ut qui potestati illius legitimæ, per me assertæ, fucis & præstigiis suis detrahare niterentur. Sic dimissus fui, postquam alter ille ex advocatis Regiis, seorsim, sed coram tribus aut quatuor ajebat, se librum a *Mailardo* Sorbonista correptum legisse, verumque & Christianum suo iudicio esse, solisque superstitionis odiosum. Mense Aprili sequenti quietem habui, plaudentibus omnibus fere advocatis, & majori parte senatus. Liber interim avidissime ubique comparabatur & legebatur, sed discruciabatur impia & inulcerata capita Sorbonæ undique laborantis, nec proficientis: Non enim erga Regem in aula, nec apud Senatum favorem contra me invenerunt; sed tandem apud solum Cardinalem Borbonium, quem Rex Parisiis Proregem staturat. Interim tamen sæpe adibant & interturbabant Senatum magnis & infestis clamoribus, sed clamoribus furiosis duntaxat. Jussi dicere articulos, quos hæreticos censerent, clamabant, totum, totum plusquam hæreticum & cum auctore exurendum. Jussi duobus arrestis, in eorum, præsentia datis, dare speciatim articulos erroneos & hæreticos, & interim vetiti clamare

in genere, & quicquam attentare, parere noluerunt. Dicunt enim, se in ea re, nec Regis, nec Senatus, sed solius Papæ subditos esse. Nec abs re, cum illius solius negotium agant. Erant tamen pauci ex eorum collegio mecum sentientes. Audivi a quodam Senatore, qui se vidisse & audivisse dixit, cum mense Aprili in secundo congressu venissent Sorbonici, in magna, circiter triginta, multitudine (Eis enim objectum fuerat, quod essent tantum sex vel septem clamatores) fuisse tres, qui clara voce dicerent, se librum legisse, bonumque, verum & utilem invenisse; reliqua turba contrarium vociferante. Initio Maji confisi de favore & protectione Cardinalis Borbonii Proregis, contra quam duobus arrestis cautum erat, nec datis speciatis, ut iussi erant, articulis, cœperunt in suis concionibus in me & librum rabiose debacchari, populum ad seditionem ciere molientes, quod adhuc ambularem in foro, quod viderer ire per vicos, sese vel me comburi oportere. Populo his clamoribus impleto, me tanquam jam diffamatum & suspectum die decima Maji personaliter citari faciunt coram uno e suo collegio & factione, vicesgerente dicto *Orys*, inquisitoris fidei. Palam ad gradus Palatii citatus responsionem meam & appellationem tanquam ab abusu ad Regem palam conscribi feci, Citatorem a Palatinis amnuentibus comprehensum, ne discerperetur, erui, eademque hora sero domum repetens, intravi domum Cardinalis Borbonii, ut scirem, quam mente esset. Is in horto mihi in occursum venit, familiarissime & humaniter colloquens, excusans etiam quæ acrius scripseram. Sed hoc venabatur, ut, quemadmodum in his, quæ juris & profes-

sionis

sionis meæ erant, judicem me ut in ea re peritum
 faciebat, ita permetterem Sorbonicis, in his quæ
 Theologiam respiciunt, ut in ea re peritos, judices
 esse: Saltem sinerem eos decernere, nihilque eis
 in re Theologica responderem, spondens in fide
 Principis, omnia mihi fore tuta & integra. Ego
 vero dixi, me ante sequimenssem ea de re satis
 fecisse regiis advocatis, videlicet cedere me ratio-
 nibus, si validæ offerrentur, alias disputationem
 publicam subire. Ille urgebat, num Sorbonistas
 censores & judices in eorum arte agnoscerem?
 Concessi ita ut tanquam mihi vel cuivis advocato
 in arte mea (eveniret), cui vel pedaneus judex
 stare non tenetur, imo vel minimus advocatus
 contradicere, aut quivis cerdo spernere potest.
 Cum excandescere inciperet, lenii eum dicens:
 Princeps es & Prorex, utroque nomine teneris
 me defendere, quia jura Regis & coronæ propu-
 gno. Respondit: Princeps equidem sum, Re-
 gemque diligo, sed multo magis Ecclesiam diligo,
 Ecclesiam, inquam, per quam Reges regnant.
 Tum ego: Corona Franciæ non dependet ab
 Ecclesia Romana: Et hoc dicens vocavi turbam,
 ut accederet & audiret. Tum ille, me relicto,
 sese proripuit iratus & minitans. Turba me incre-
 puit, quod auderem convocare testes contra Prin-
 cipem. Respondi: Num videtis qualem Prore-
 gem habemus, qui plus diligit Papam, Regis ho-
 stem, quam ipsum Regem? Simul etiam venabar
 occasionem, ne is, ut suspectus, partes suas am-
 plius interponere posset. Quidam e turba dixit,
 non debuisse me cum tali de rebus seriis loqui post
 cœnam. Lique eos, dicens, Deus & veritas me
 protegent. Die sequenti collocutus cum Cancel-

lario *Olivario* & aliis stricti Consilii, aperuit, me visum esse paulo liberius loqui, sed tamen Cardinalem pacificatum, nihilque esse periculi. Sed sentiens brachium seculare (ut vocant), dicto inquisitori, quia comparere nolueram, nec talem iudicem agnoscere, est (non obstante appellatione mea) concessum (*), Cathalanos adii, coram Regina regente Idibus Maji auditus. Antagonistam habui Sorbonæ accusationes ingerentem, quas singulatim aperte confutavi, etiam liberius & acrius quam scripsissem. Inter cetera accusabar scripsisse, Decretales esse erroneas. Ego addidi & ostendi hæreticas &c. multis astantibus, & benigne audiente Regina, quæ suscepto libello (quo omnia ad ipsum Regem referri petebam) die quarto in consilio præsedit, & quicquid petii obtinui, appellationem meam evocatam; omnes iudices sive papales, sive episcopales, sive seculares (ut vocant) & senatum ipsum interdictos; ipsi Regi reverso & instructo cognitione reservata; addito etiam, ne interim molestarer nec familia mea, sive occasione contentorum in libro, sive aliunde, religionis ergo. Cum hæc aguntur, dederam Parisiis excudendum libellum, *in causam Landgravii Hessi*. In quo obiter, sed aperte Protestantium religionem defendo, fidemque & constantiam Ducis Saxonis nominatim refero & laudo. Is libellus me Cathalanis existente venundari cœpit & circumferri per medium palatium. Quod ut quidam Sorbonici contra me sollicitantes audierunt, non inspecta re currunt ad suum Cardinalem, & præsenti irrumpunt, clamantes ejus auctoritatem
floci-

(*) Hic aliquid vitii subesse non obscurum, sed quomodo sanari possit non perinde apertum est.

floccipendi, quod contra quam jufferat liber ille impius, contra abusus, palam veniret. Remittit ad *Bruslardum*. Dicunt ab eo se negligi (quoniam contra me ad Regem profectum Senatus interim nihil decernere volebat): Evocatur etiam a prandio *Bruslardus*, & increpatur a Cardinali. Ait, se cavisse, ne veniret. Convincitur testimonio Sorbonicorum, qui testificabantur, se vidisse & audisse librum illum palam vendi. Mittuntur apparitores. Invenitur alium novum & parvum libellum esse: Sed qui apertius pungat, si inspexissent. Reversus mox programma regium significari facio Inquisitori, Sorbonistis & Senatui. Fren-det Cardinalis Borbonius & minatur, se saltem in custodiam usque in adventum Regis me conjecturum. Monitus ab amicis, quorum nonnulli circa eum sunt, me subduco ad duodecim vel quindecim leucas Gallicas, in domibus nobilium christianis quindecim dies delitescens. Interim uxor rursus in aulam mittit, & habet literas subscriptas manu Reginae & Margaritae Franciae. Et sic Cardinalis ille siluit. Itaque redeo, & alios quindecim dies sum frequens in palatio, more solito, omnibus congratulantibus donec Cardinalis Lotharingus, dicens se habere nutum Regis, ut contra me lege ageretur, persuadet Sorbonicis, ut arrestis Senatus pareant, dando in me articulos particulatim. Quanquam autem in Senatu, quoties coactus fuit, non modo sanior, sed etiam major pars a me steterit, ita ut quidam e praesidibus non solum ore aperto laudaverit; sed etiam censuerit, me magno honore & officio praesidis ob id operis dignum: tamen cum extra ordinem, ut in criminofum agitur, non cogitur Senatus, sed

sed tantum vocantur aliquot pauci delecti, indo-
 cti, sanguinarii. Per hos volebant appellationem
 meam judicari, & per articulos Sorbonæ ad ignem
 damnari, idque triduo confici, ut Rex (si Ger-
 mani conquererentur) causari posset se ignorasse.
 Monitus tum a quibusdam e Sorbona, quibus fa-
 cinus displicebat, tum ab aliquibus Senatoribus,
 quin etiam oblique ab ipsis Regiis advocatis, qui
 me nunc vocantes, nunc adeuntes cum diris mi-
 nis, dicentes sibi necessum esse ad ignem conclu-
 dere, si vel tantillum a Sorbonicis dissentirem, fa-
 tis præfens periculum indicabant, sed tam brevi
 tempore ut rebus domesticis nequies consulere,
 magno itinere per Lotharingiam Basileam venerim.
 Illico Regi, Reginæ, Connestabili, & aliis causam
 abitus scripsi, ad publicam disputationem, Rege
 reverso me offerens. Libellum illum primo-Ge-
 nito Landgravii dicatum eidem per apparitorem
 Basiliensem in castra misi. Sperabam enim Princi-
 pes Germaniæ causam meam adjuturos, ut etiam
 fecissent, nisi (Rege Gallo cum utroque Antichristo
 fœdus habente, nefando Cardinalis Lotharingi &
 Connestabilis consilio) res aliter cecidisset. In
 ipso vero Regis primo consilio Cathalanis dixerunt
 mihi primores consilii, victoriam esse in manibus,
 si abessent Cardinales, vel Regem non possiderent.
 Mihi tamen (incaute favendo) nocuerunt, nimis
 securum reddentes, tum Reginæ, tum ipsorum
 favore, ita ut latens periculum prævidere non po-
 tuerim, priusquam capiti impenderet. Alioqui
 si prævidissem fore ut nec publicam disputationem
 obtinerem, parte bonorum mature vendita fami-
 liam simul eduxissem. Nunc non solum familia,
 non solum advocationis (quæ nunc laborum so-
 latium

latium esse poterat) exercitio, sed etiam bonis privatus sum. Nec adhuc parum mea refert, si triente librorum nuper Parisiis selecto frui liceat, ut residuos fugientis ætatis annos in obsequium Ecclesiæ impendam. Multa quidem tuta & semotacastra in Gallia mihi sunt oblata, ut mihi ipsi philosophari nullo sumtu licuisset. Sed malui remotius etiam sumtibus uxoris & liberorum agere, quam susceptam pugnam intermittere. Habes nimis longam tragœdiam. Sed tibi (qui est candor tuus, & perpetuus in Ecclesia promovenda Zelus) cui summe volupe fuit prolixiorum librorum, utpote pleraque nisi ad demulcendos & expergiscendos Gallos pertinentia continentem legere, non erit injucundum hæc legere. Nuper ad principes Præfectos & Consules Bernenses scripsi, intentionem meam aperiens de absolvendo & edendo *ἐπινοηθέντι* *Juris civilis* ante complures annos inchoato: Si Lausannæ locum dent; nulla stipendia volo, sed simplicem tantum habitationem, saltem quatuor aut quinque annorum. Nescio si quid decernant. Res est gravior & utilior, quam putent. Nisi scriptiois prolixitate vererer seriam tuam interrumpere, adderem causas, quibus tuam etiam erga dictos Bernenses auctoritatem ad id interponeres. Vestræ Reipublicæ hoc splendore digniores sunt, quam ullæ horum seculorum Monarchiæ. Cum festino, non vacat recordari, si ad Bernenses scripsi de omnium Papalium & Conciliorum Papisticorum decretis dispungendis gallice, latine & germanice, opus inchoatum, sed otium liberum exigens. Ego solitus mea profundere suppudescō, timens ne videar aliena quærere, dum occasionem quæro semel omnia profundendi. Ut
autem

autem intelligas, cur favorem Bernensium sine eorum damno quæram, simplex prætextus favoris eorum plus mihi proficiet, quam quingenta annua. Sic enim fiet, ut fiscus non involet bona relicta, & sic familia non solum ali, sed etiam mihi suppeditare possit, & sensim ita res componere, ut huc transferri possit, nisi illic Evangelium emergat, alioqui oppressa familia & censu ad extremam servitutem redactus sum. Vale Doctor & Præceptor colendissime, meque in tuorum albo semper adscribito. Genevæ XIV. Octobris 1552.

Deditissimus tuus

Carolus Molinæus, J. D.

Commendari desidero venerando patri D. *Conrado Pellicano*, D. *Bibliandro Πολυίτωρι καὶ Πολυγλώσσῳ*, & D. *Gualthero*, qui mense Julio me invisit, quem felicis memoriæ D. *Oswaldus Myconius*, Basiliensis Ecclesiæ verus & sanctus Episcopus, filium suum (ut ab eo audivi) vocabat.

His scriptis, literas ab amicis Galliæ recepi, actum esse de familia, si aulæ innotesceret, me Genevæ consistere, idque jam notum esse Parisiis, quamobrem familiam in summa esse trepidatione. His permotus Lausannam illico veni, ubi exceptus sum domi *Francisci Hottomanni*, docti Jureconsulti, qui etiam congruum studiis & libris locum dedit. Quare ad præcellentissimum Doctorem D. *Wolfgangum Musculum*, & ad amplissimos viros *Nicolaum Zerchintem*, *Petrumque Gironum* Bernam scripsi, mihi non opus esse habitatione, sed simplici favore, quo vel in advocatum vel consiliarium aut alias ex suis, sine ullis stipendiis me reciperent. Si etiam in hac parte studia mea Ecclesiæ juvandæ destinata fovere vellent.

Aliud

* * *

Aliud quoddam ejusdem Icti celeberrimi ad BVLLINGERVM epistolium, in quod aliud agens novissime incidi, ineditum hactenus, ex *αὐτογράφῳ* excerptum hic subjicere visum est. J. B.

S. P. Charissime Doctor Ecclesiae Christi & praeceptor, puto te recepisse mea manu scriptas ad finem Julii. Valde incertus eram, An Marpurgi, An Montblegardi concederem. Malebam esse in Academia, si fieri (cum pietatis & studiorum meorum exercitio) posset. Dum Responsum ex Hassia & Francofordia non habeo, agnovi me desiderari a Consiliariis Illustriss. Comitis Georgii, illico de hac re scripsi duci Virmenb. resignans quae hic habeo. Mox literas recepi e Bituribus Do. *Franc. Balduini*, Jurium professoris celeberrimi, qui cupiens Idola fugere, desyderat conditionem Argentinæ. Mox uberius ei consulturus & literis & ore proprio illum commendavi & insinuavi Duci, ut hic mei loco subrogetur & sic Dux sine novo stipendio duos habebit. Illum hic stipendio minore scholæ, & me Montblegardi stipendio Consilarii fere subduplo, quo contentus, ut sim in pura Ecclesia & fratres allicere & instruere familiam possim: hac enim si carerem, nollem hic esse in hac fermentata ecclesia. Hoc morbo non laborat ille Balduinus, qui uxore caret, & fermenta & papistica ista spernere imo etiam flagellare & labefactare poterit. Is ante annos 15. primarius meus amanuensis fuit, eum ante 6. annos Bituricensibus professore indigentibus nominavi: Receptus cum laude functus est & fungitur. Semigermanus est, quia Attrebatensis. De convulsa publicitus a me promotione papistica 9. Maii

NON

non fuerunt calumniæ , sed tantum protestationes
 contra me , quia primores aulici & Do. *Jo. Brentius*
 aderant. Sed In - - 2. 24. Julii , quum caretis
 amanuensibus , neglexissem scribere in aulam ,
 Princeps jussit ad se perscribi quicquid actum esset ,
 confessionem meam a me subscriptam ei , hac
 transeunti , die dominica ult. dedi , cujus exem-
 plar hic ad te mitto , manu *Burbundi* scriptum :
 quum legeris rogo mittas Do. *Joanni Calvino* una
 cum Literis , ad eum hic etiam inclusis. Alii
 hic papistæ manifesti & obstinati (& hi minus mali
 ut etiam ipsi Principi scripsi :) Alii Lutherani ,
 non puri , sed confessionem Augustanam fermenta-
 ti horrendis pseudadiaphoris , Alii utriusque ,
 Alii nullius Religionis , ut malim moriens famili-
 am meam ubi est , quam hic , relinquere. Cæ-
 terum Invidi & papistæ ansam non admittendi Bal-
 duini arripient , quasi Zuinglianus sit , quia a me
 nominatus ; puto tamen me effecturum , ut ma-
 jor pars Auditorum illum petat , dicerem omnes ,
 nisi quia factio inimica quosdam seducet. Uxor
 multos tales amanuenses gallos ad me misit ope-
 ram & pecuniam perdens , quia nemo unquam
 transivit Rhenum , sed mox ut ero (Deo dante)
 Montblegardi , illis abundabo , & opus gallicum
 in Papatum jam ultra annum intermissum resumam.
 Tui & Ecclesiæ sanctæ precibus omnia commendo ,
 salutari desiderans Reverendum patrem Do. *Pelli-*
canum , Do. *Bibliandrum* , Do. *Lavaterum* , Do. *Zuing-*
lium jun. tuum & vos. Vale , pax & gratia Christi
 semper tecum sit. Tubingæ 4. Septembr. 1554.
Carolus Molinæus.

Inscr. Pientissimo Ecclesiæ Christi Doctori Do.
 Heinrico Bullingero , Tigurinæ Ecclesiæ
 pastori vigilantissimo.